

26⁴²
De
**GLORIATIONE
PAULINA,** 1697

Ex Gal. VI, 14.

PRÆSIDE

*VIRO Summè Reverendo, Magnifico,
Excellentissimoque*

DN. CASPARE LOESCHERO,
Doct. Theologo, Prof. Publ. Consist. As-
sess. Seniore, Ecclesiæ Wittebergensis Pastore, Circuli
Electoralis Saxonici Superint. General. &
Fac. Theol. Decano,

*Dn. Patrono, Præceptore ac Hospite suo
omni venerationis debitæ cultus
prosequendo,*

disput.

AUTOR - RESPONDENS

M. CAROLUS Gottlieb Heebisch,
Dresdensis,

D. XXX. Mart. A. C. M. DC. XCVII.

WITTEBERGÆ,

Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

1697

41

GERMANY

PALESTINE

PARADE

DR. C. SPÄKE FORTSCHIRRO

Doct. theol. et prof. Publ. Göttingen

1810

CAROLUS

WITTE

1810



A. & Ω.

PROOEMIUM.



Vam parum plerique mortali-
 um in actionibus suis atque ne-
 gotiis divini Numinis gloriam, quã
 tamen nihil prius haberi debebat,
 antiquius nihil, attendant, luce me-
 ridianã clariùs est, ac nullis ferme
 indiget documentis. Inveniri poti-
 us multos Plautinae monetae *Mili-
 tes gloriosos*, qui vitioso arrogantiae
 tumore inflati, sapientiam suam in-
 geniumq; celebrant, sibiqve omne, quod agunt, acceptum fe-
 rendum, cupiunt, obliti verborum Davidis Ps. CXV. i. *Non nobis
 Domine, non nobis* &c. quis quaeso non animadvertit? Nec
 minor profectò numerus deprehenditur eorum, qui virium
 robur ac firmitatem, quam à naturae benignitate nacti sunt,
 caeteris rebus omnibus anteponunt, in eaqve fiduciam suam
 collocant, immemores infelicitatis, quam socius eorum Go-
 liath subire cogebatur i. Sam. XVII, 4. seq. Rursus alii laureo-
 lam in magnis opibus, divitiisqve, ac nummorum abun-
 dantia quaerunt, seqve ob id dignos esse censent, qui colan-
 tur, & aestimentur, more Nabuchodonosoris. Dan. IV. 26. sqq.
 & Herodis Act. XII. 21. sqq. Alii alia, ceu genuini Pharisei, ja-
 ctitant. Hos verò spurios gloriandi modos DEO placere mi-
 nimè, imo potius odio esse ac abominationi, jam olim nobis
 revelavit divino agitatus spiritu & accuratus futurorum inter-
 pres Jeremias c. IX. 23. 24. dicens: *Sic ait Jeebova: ne gloriator
 sapiens in sapientiã suã, neqve gloriator potens in potentiã suã,*
 A neqve

neque gloriator dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, quæ gloriatur, se intelligere & cognoscere me. Unde etiam summus gentium Doctor ad Galatas suos scribens, omnem gloriam longius à se remotam esse vult, præter illam, quæ circa servatorem affixum cruci occupatur. Cedro enim digna huius verba sunt, Gal. VI, 14.

Ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι, εἰ μὴ ἐν τῷ σαυ-
ρῶ τῶ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ χριστῷ, δι ᾧ ἔμοι κόσμος ἐ-
σαύρωται, καὶ γὰρ τῷ κόσμῳ.

Imitabimur hac in parte Apostolum, cumque nobis studiorum hæctenus continuatorum tyrocinia ponere, imposi- tum sit ab eis, quorum autoritas apud nos multum valet, ope- ram dabimus, ut hæc Pauli verba pro ingenii nostri modulo a- liquanto fusiùs pauloque plenius deducamus. Quod ut DE- us optimus maximus benè evenire jubeat, supplices eundem oramus & obtestamur.

CAPUT I.

I.



Antequam verò nos operi accingamus, juvat hic melioris ordinis gratiâ brevem totius capitis VI titi analysin, ductu *B Schmidii* Commentat. in hanc Ep. p. m. 116. sqq. instituere. Dispersit illud in duas palmarias partes. Prior ipsi continuat præcepta Christianæ vitæ specialia. Quorum II. est *restitutio lapsorum* v. 1. Ubi notari possunt I. *restituentes*, πνευματικοὶ, spirituales ib. 2. *restitutio in priorem locum*, καὶ ἀγρίζετε, reparate, restituite, ut luxatum membrum ib. 3. *modus restituendi*, in spiritu mansuetudinis ib. 4. *restituendus*, homo transgressione præoccupatus. ibid. 5. *restitutionis rationes* (1) *memoria propriae labilitatis*, spectans te ipsum &c. ib. (2) *præceptum Christi*, ut u-

nus

nus alterius onus portet v.2.(3) *propriae defraudationis evitatio*
 v.3. Et (4) *proprii operis probatio* v.4. requisita ob modum ju-
 dicandi futurum, ut quilibet proprium onus portet v.5. III.
Catechizantium honesta sustentatio. Ubi I. *Communio*. κοινοῦ
 ἔργου, communicato, h.e. partem dato, non communia omnia
 facito. v.6.2. *Communicans*, καθηχόμενος, qui catechizatur. ib.
 3. *cui communicandum*, καθηχῶντι, catechizanti, ibid. 4. *Mate-*
ria communicationis, in omnibus bonis ibid. 5. *modus commu-*
nicandi, non avarus & fraudulentus, quo illuditur DEO. v.7.
 6. *ratio*, quia DEUS non patitur sibi illudi. ibid. sed rependit
 juxta sementim. v.7. IV. *Communis benignitas*: quae I. est *prae-*
standa sine defatigatione, & quamdiu tempus habemus v.9.10.
 2. *erga quosvis* v.10. Sed tamen 3. *praecipue erga domesticos fi-*
dei ibid. Quia 4. *etiam praemium erit aeternum*, dum proprio
 tempore metemus, non intermissionem passuri ibid. Poste-
 rior continet totius Epistolae Epilogum. In quo I. Paulus *be-*
nevolentiam captat, ut tandem sibi animos Galatarum de novo
 conciliet, & in suas partes adducat a Pseudodoctoribus. Ca-
 ptat autem benevolentiam I. *à laboris sui prolixitate* ecce,
 quam multis &c. v.11. 2. *ab animi sui ingenuitate & sinceritate*:
 qui non quaerat propriam gloriam in persuadendis Galatis, ut
 Pseudodoctores v.12. de quibus hoc ipsum probatur v.13. sed glori-
 am Jesu Christi crucifixi v.14. in quo nihil mundanum quae-
 rendum, sed crucifigendus mundus ibid. Cum in Christo
 nihil valeat, praeter novam creaturam v.15. II. *Benedicit & bo-*
na promittit credentibus. Et quotquot &c. v.16. III. *Minatur ul-*
teriores molestias creaturis v.17. bona ex ratione, quia stigmata
 Christi Jesu in corpore suo portet, ut novas molestias addere
 non debeant alii. ibid. IV. *Precatur gratiam Domini*, voto con-
 cludens. v.ult.

II.

Jam quod speciatim comma nostrum propositum attinet,

A 2

ex

ex antea dictis facile apparet, sermonem esse Apostolo contra Pseudo-Apostolos. Cum enim hi voluptates, auramque popularem & propria opera creparent ubivis, praedicarentq;, de merito Christi verò ne cogitantes quidem; sui esse officii arbitrabatur, hanc adumbratam gloriae imaginem iis exprobrare, simulq; demonstrare, in quo vera gloriae laus absolvatur. Ea autem erat nulla alia, quam crux Christi, i.e. Christus arbori infelici suspensus, sive quod eodem recidit, Christi crucifixi meritum & vadimonium in cruce peractum. vid. *Estius* T. I. in h.l. p. 592. *Andr. Kunadus* Colleg. Privat. Publ. super Epist. S. Pauli ad Gal. Disp. XV. c. 2. §. 5. In eo gloriabatur unice, in eo, quasi in aliquo peropportuno diversorio requiescebat, in eo mundus universus ipsi crucifixus erat. Quid per mundum hic indiget Apostolus, non eadem omnium mens est, quod *ὡς ἐν παρόδῳ* hic recitabimus. *D. Hunnius* de hominibus in mundo evangelicam doctrinam persequentibus interpretatur. Quod praefert etiam *Estius*, cum *B. Schmidio* locis citatis, hanc ob rationem, quia mundus, caro, & si quid aliud, Christo & merito ejus opponuntur, si maximè sint etiam res fidelium, si per illas salvari cupiant, aut gloriam captent. In alia omnia discedit ingens illud decus quondam & ornamentum hujus almae Leucoreae *B. D. Calovius* in Bibliis Illustratis T. II. p. m. 641. sequentia proferens: *Per mundum intelligit, (Apostolus) peccata, quibus repletus totus mundus extra Christum Gal. II. 4. quae crucifixa sunt in Christo, utpote qui peccata nostra portavit in suo corpore in lignum crucis. 1. Pet. II. 24. quam peccatorum suorum portationem, crucifixionem & mortificationem, ceu sibi factam vera fide suscipit, ideoque mundus, inquit, per Christum mihi crucifixus est, quia meritoriam Christi satisfactionem sibi applicabat per fidem, uti professus supra erat: Christus me dilexit, & dedit semetipsum pro me c. II. 20. Expositionem Crociz atq; Parei confutatam videre licet apud eundem l. II. Plurimi*
cae-

caeterum explicant mundum de reb9 mundanis, h.e. quas homines hujus seculi expetunt, e. g. de opibus, honoribus &c. ex quorū numero sunt *Flacius Clav. Script. Sacr. sub voce Mundus p. m. 707.* & *Job. Cunr. Dietericus*, Antiquit N. T. sub voce *κόσμος* p. m. 450. b. Quamquam autem sententiae hae minus inter se convenire videantur, nobis tamen difficile non erit, eas in conflictu ita conciliare, ut Textui consonare possint. Jam verò, si dicti nostri sensum contrahamus in summam, complectitur illud uno verbo *Gloriationem Pauli in sola cruce Christi.* Optimè id intellexit *Augustinus*, unde Serm. XX. de verit. Apost. pulcherrimè de verbis Paulinis differuit. Cujus verba, cum meritò perquam placerent *Beda*, ea excerpfit, & f. 763. in locum nostrum ita scripsit: *Ubi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit: non contemnendo vile involucrium, pervenit ad pretiosum involutum. Gloria nostra in cruce Christi: Ubi humilitas, ibi Majestas: ubi infirmitas, ibi Potestas: ubi mors, ibi Vita, Si vis ad illa venire, noli ista contemnere. Solus potest in cruce Christi (sunt verba S. Hieronymi) gloriari, qui tollit eam, & sequitur Salvatorem, qui crucifixit carnem suam cum vitiis & concupiscentiis, qui mortuus est mundo, & non contemplatur ea, quae videntur, sed quae non videntur.* Haec ad mentem Augustini & Hieronymi Beda. Nos per haec incitati, verba Pauli planè aurea eò majoris aestimabimus. Hinc ut eò melius in eorum adyta penetremus, urgere videtur necessitas singulorum verborum rationem quamdam habere ac curam. Praestabit hoc

CAPUT. II.

III.

E^{μοι δε.]} Mihi verò, à me verò. Particula adversativa indicat, ad proximè praecedens comma esse respiciendum. Ubi de Pseudo-doctoribus dicitur, quod in carne gloriati fuerint: his obviam ibat Apostolus, ali-

A 3

amque

amque prorsus sibi hac de re mentem esse ostendebat, hinc inquit, *Mibi verò.*

Μὴ γένοιτο] absit, ne fiat. Freqvens admodum loqvendi modus Apostolo, in refellendis corrigendisqve & detestandis erroneorum sententiis. Occurrit enim aliquoties in Eius literis. conf. Rom. III. 4. 6. 31. c. VI. 2. 15. c. VII. 7. 13. c. XI. I. II. I. Cor. VI. 15. Gal. II. 17. III. 21. Alii per *ne contingat* exprimunt, in qva significatione utitur Lucas c. XX. 16. q. d. *abominor, hoc DEus averruncet! nunquam adduci potero, ut hoc statnam faciam.*

Καυχᾶσθαι] gloriari, vel ut glorier, ut acquiescam cum exultatione. Verbum hoc Ionicōs contractum est, & redditur alioquin apud Graecos per κομπαίζειν, animadvertente Polyhistore summo *Schurzfleischio*, Mecænate meo & Praeceptore magni semper aestimando in Colleg. Msto super Epp. Pauli. Plerumque autem insignem gloriationem, sive *jactationem* indicat. Unde apud Latinos per voces *Jactare & exultare* passim translatum est. Ipse Paulus 2. Cor. IX, 2. de Corinthiorum erga se ingenti benevolentia dixit, ἴν' προθυμίαν καυχῶμαι quod idem est, ac jure jacto, & jactando praedico, quod optimo in me animo estis praediti. Unde etiam cognatum, καύχημα significat *gloriationem & jactationem*, qva quis insignem quandam gloriam adipisci potest. Quare idem Paulus dicit: καύχημα ἔχει, habet, quod gloriatur, & quo se jactet. Rom. IV, 12. Quemadmodum etiam ἡ καύχησις ejusdem significationis ab eodem Paulo usurpata est Rom. XV, 17. ἔχω καύχησην, i. e. habeo, quod glorier, aut me jactem. Descendit inde etiam καυχημαλῆς, *Gloriosus, Jactator*, pluraque alia, qvae evolve apud *Henricum Stephanum* T. I. Thes. Gr. Lingv. f. 609. Id tantum hic addere non frustraneum aestimavi, si mone-rem, vocem hanc in Novo Testamento a solo Apostolo Paulo trigiesies quinqvies, à Jacobo autem, non nisi bis, & à caeteris
Novi

Novi Testamenti Scriptoribus plane non fuisse usurpatam. Haudquaquam autem interdicat Apostolus, ne quis in virtutibus, laboribus, periculis pro justitia exantlatis, atque in caeteris, quae hujusmodi sunt, gloriatur: id enim optimè fieri posse, si justa necessitas sit, Paulus ipse suo approbavit exemplo 2. Cor. XI, 12. Sed vult, ne quisquam de quibuscunque rebus aliis gloriatur, nisi in cruce, ut intelligat, quisquis aliquid boni, quod gloria non sit indignum, possidet, id se non aliunde habere, quam ex fonte crucis Dominicae. Quae de re B. Hieronymus, *sciendum est*, inquit, *quod omnis illa gloriatio ad crucem relata, gloria crucis sit, & quicquid dignum in virtutibus perpetratur, hoc fieri ob Domini passionem. Leg. Estius h. l.*

IV.

Εἰ μὴ] Nisi. Non est Conjunctio conditionalis, quae verbis praeposita conditionem importat, ut fit Matth. XXIV, 22. Marc. XIII, 20. Verùm adverbium excludendi, quod non absolute & simpliciter omnia eliminat, sed tantum certa quaedam, quae cruci Salvatoris in salutis negotio contraria esse possunt. Neque enim, dum hic loci gloriatio cruci Jesu Christi, h. e. morti ejus adscribitur, Christi passio, vel perfectissima ipsius obedientia legi nostri loco praestita excluditur, ut videre est Phil. II, 6, 7, 8. Pf. XL, 9, 10. Eb. X, 5. c. VII, 26. Joh. IV, 34. c. V, 30. c. VI, 38, 39. c. IX, 31. c. XVII. 19. 1. Pet. II, 21. 1. Cor. I, 30. Col. III, a. v. i. usque ad v. 12. 1. Pet. I, 18. 19. Adeo ut non possit non in reprehensionem incurrere *Piscator*, in Com. Bibl. imprimis verò vol. I. Loc. 15. thes. 18. 19. dum ausu plane novo, & à nonnullis suae religionis rejecto, (damnat enim hunc errorem *Piscatoris Bucanus* in Instit. Theol. *Polanus* in Partit. Theol. & in c. 9. Daniel. a. p. 823, usque ad p. 872. *Scharpius*, in cursu Theol. artic. de justif. p. 550. *Luc. Trelocatus* in Instit. Theol. I. 2. loc. de officio Christi p. 125. 126. 127. Reliquos autem, qui aut ante

ante Piscatorem , aut post illum , errorem eundem errarunt, magno numero allegatos vide in *Wittebergensium* fundamentali Probatione , qvod Religio Calvinianorum animae salutis pernitiōsa sit p.47. & p.249. Adde *Affelmannum* P.I. Syntagm. p.537. sqq. ut & *Darmstadios* in fundamentali Deductione) contendit, solam Christi passionem ac mortem, exclusā penitus sanctissimā ipsius vitā, sufficientissimum redemptionis hominum remedium esse. Cum ex Sacro Codicē manifestum sit, Christum perfectissimo suo obsequio legi divinae nostri vice exhibito, pro peccatis nostris Matth. V, 17. Rom. IIX, 3.4. Joh. XVII. 19. I. Pet. III. 18. & ignominiosissima crucis morte, pro pœnis peccatorum nostrorum, à quibus nos redemit, satisfecisse Es. LIII, 4.5. Matth. XX, 28. Eodem prorsus pacto Poetarum Princeps Didonem dixit *solam*, non absolutè, sed tantum sine eo, qvem amabat. Nam regina sola esse non poterat. Qvemadmodum & Comica Siren, Plautus, inducit amatorem in turba dicentem, qvod *solus* sit. vid. *Dan. Fesseli* Advers. Sacr. L. IV. c. II. §. 24. p. m. 316.

lib. 4. Æn.
v. 82.

V.

Εν τῷ σταυρῷ τῆς κυρίας ἡμῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ] In cruce Domini nostri Jesu Christi. Crux hic non lignum signumve crucis, cui in Papatu (vid. *Jodoc. Lorichium* in Thesaur. Theol. sub voce *Crux Christi* f. 728.) non modo expiatio peccati, verum etiam medela morborum & sanctificatio rerum praeternaturalis superstitiose tribuitur; neque per Catachresin quādam omnis generis calamitates piorum, neque persecutionem, ut Gal. VI, 12. de quibus significationibus leg. *Matth. Flacii* Clav. Script. Sacr. sub voce Crux, p. m. 193. sed per Metonymiam Subjecti, tam hic, quam I. Cor. I, 17, 18. c. II. 2. Eph. II, 16. Col. I, 20. c. II, 14. *passionem, mortem & crucifixionem Jesu Christi denotat*, I. Pet. II, 24. sive, ut admodum nervosè reddidit *Dan. Chamier*, Panstrat. Cathol. T. I. lib. 16. c. X. n. 7. p. m. 340. id omne,
quicquid

quicquid in cruce Christus passus est. Nomine crucifixionis & mortis Christi vero per Synecdochē partis perfectissimū Christi meritum, uti jam supra innuimus c. l. n. 2. exhibetur. Glorietur itaque Apostolus in cruce, i. e. in passione & morte Christi, in doctrinā de Christo crucifixo, in fide, grata memoria, praedicatione beneficii crucis, per quam Christus omne bonum, ad pietatem & salutem pertinens, nobis promeruit ac procuravit, & in tribulationibus ejus causa subeundis. vid. *Matth. Polum Synopf. Crit. ad h. l.* De vocibus Κυρίῳ Ἰησοῦ καὶ χριστῷ, cum passim ab aliis sit actum, brevitati studentes, nihil addimus.

VI.

Δι' ἧς] per quem s. quam. Potest enim & ad proximum χριστῷ, & ad remotius τῷ σταυρῷ eodem sensu manente referri. Per quem, Christum crucifixum, h. e. Christi causa vel Christi merito ac beneficio. Per quam, scil. crucem, qvi sensus plenior videtur, q. d. studio crucis Christi.

VII.

Ἐμοὶ κόσμος ἐσταύρωται] mihi mundus crucifixus est, i. e. mortuus, sive mortificatus est. Nihil mihi commercii cum mundo, sicut mortui à vivis plane separantur atqve alienantur, conf. Rom. VI, 2. & c. VII, 4. Mundus nullam potestatem habet in me, neqve ei servio. Mundus à me contemptus est, quasi res nihili, vana, caduca, mortua. Mundum abominor, ac si cadaver esset latronis in crucem sublato. De voce κόσμος repete, quae dicta sunt c. l. n. 2. Si quaeris an haec verba Pauli παράλληλα sint iis, quae Ignatius in Epistola ad Tharsenses habet: ἐρῶς μὲ ἐσταύρωται? Respondemus, non esse ea talia, si vulgarem interpretandi haec verba morem sequimur. Esse a. vere, si illa accipimus ex mente Ignatii genuinā. Ita enim explicanda, & tanquam parallela Paulinis nostris accipienda esse, Eruditissimi Viri volunt. Ex quo fonte *Theophil. Spizelius*

lius diligentissimus scriptor, in vetere Academia Jesu Christi p.9. haec hausit scribens: *Verba haec*, (Amor meus crucifixus est) *à caeteris abscissa & separatim sumta, sic vulgo accipiuntur, ut per AMOREM intelligatur CHRISTUS. Sed NB. longe alium sensum ea habere, docent proxime sequentia: Nec est in me Ignis &c. Nimirum primum illud membrum. Amor meus crucifixus est, plane eodem modo dictum esse, sicut à Paulo, Mundus mihi crucifixus est. Ac sicut Paulus addidit: Et ego mundo: Sic & Ignatius adjecit: Nec est in me ignis rei ullius terrenae amans, id est, nec est in me ullus amor, s. desiderium rerum terrenarum.*

VIII.

Καὶ γὰρ Ἰῶ κόσμῳ] Et ego mundo scil. crucifixus sum. Id intendit nimirum. Ego à mundo vicissim despicior: ille me ut crucifixum averfatur & horret. Mundus & ego mutuo respectu plane mortui sumus, & invicem alieni atqve averfi, atqve adeo adversi & contrarii. Mihi susque deque est, quod nihil fiam, quia nihil ad mortuum pertinet. vid. *Polus* l. II. Intelligit enim τὸν κόσμον, qui *Jesum non agnoscit*, Joh. I, 10. *quem judicat & damnat Dominus* c. III, 17. XII, 47. *ex quo Salvator non erat* c. VIII, 23. *cujus Princeps est Diabolus* c. XIV, 17. 30. *qui discipulos Christi odio habebat* c. XV, 18. *quem Spiritus S. severè arguit* c. XVI, 8. Verbo, qui ὄλος ἐν Ἰῶ πονηρῶ I. Joh. V, 19.

IX.

Atqve haec circa phrasas, peculiareque locutiones hoc tempore attulisse sufficiant: plura enim, eaque magis proficua ac scopo nostro propius convenientia restant. Sistitur nimirum nobis hoc commate saluberrima solatiique plenissima de Passione & Crucifixione Servatoris nostri Jesu Christi doctrina. Quae in tantum à quolibet magno in pretio haberi debet, attentiusque considerari semper, in quantum nos durissimis Draconis stygii vinculis liberos immunesque pronun-
ciat

ciat. Quapropter eandem expendere constituimus. Hanc autem nobis operam pollicetur

CAPUT. III.

X.

Progredimur igitur bono cum DEO ad ea, quae in Textu nostro *dogmaticè* sunt observanda. Ubi primà fronte nonnullae sese nobis offerunt distinctiones. Distinguitur namq; *Passio Christi in propriam & appropriatam*. Illa est, quam in cruce pro totius mundi peccatis in proprio & naturali suo corpore sustinuit. Haec, quam non in sua carne patitur, sed in Sanctis. Quia enim in his habitat, hinc passiones ipsorum sibi appropriat & pro suis reputat, ut legimus Act. IX. 4. *Saul, Saul, quid me persequeris*. Deinde *passio* datur alia *inchoata*, alia *extrema & consummata*. Addimus nos his tertio *complexam sive totalem & adaequatam*, quae omnia illa, quae Christus in universo Exinanitionis statu pertulit & passus est, comprehendit & conjunctim indicat. vid. *Dorscheum* in Pentadec. p. 98. §. 15. *Illam* vocamus, quam à primà statim infantia coeptam per aliquot vitae annos Salvator continuavit, & quidem tam in anima per tentationes Diaboli in deserto Matth. IV. obrectationes & calumnias adversariorum, quam in corpore per famem Matth. IV. 2. c. XXI, 18. defatigationem & sitim Joh. IV, 7. paupertatem Matth. VIII, 20. pericula & persecutiones Joh. VII, 30. 44. De hac *Bernhardus* Tom. I. de Passione Domini cap. V. dicit: *Passionem non illum diem unum appellamus, quò mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi Crux fuit & Martyrium*. Istam appellamus, quam circa ultimum vitae terminum, biduo ante mortem sustulit, partim in anima, partim in corpore. Quae significatio communissima est. Unde etiam *Historia Passionis Christi*, non conceptionem, nativitatem &

cetera, quae ad vitam Ejus pertinent, indicat, sed ea solum recenset, quae ultimis vitae diebus in his terris gesta sunt. Tertia nobis est, quae priores duas complectitur & in primis posteriorem indicat. Hic *propria* & potissimum *extrema* in censum veniunt, alioq; nomine insigniuntur *mors* Christi, sive *traditio* pro nobis Tit. II, 14. *Medicina peccati*, atqve *mortis antidotum*, nec non μαρτύριον, sive *testimonium divinae veritatis & speculum charitatis, justitiae & spei nostrae*, quae continet mera *rationi paradoxa* vid. Luc. V. 26. it. *Crucifixio & Satisfactio*, & *Passio vicaria, satisfactoria*. Evolv. Meisner. P. II. Phil. Sob. S. I. c. 4. Qv. 4. Olear. Theol. univers. p. m. 581. & 591.

XI.

Is qui patitur, Filius DEI ἐνσάρκωτος est, s. Christus Θεάνθρωπος, evincitibus hoc apertissime Scripturae S. dictis. Rom. IX, 32. ὁ Θεὸς τὴν ἰδιότητά ἐκ ἐφείσατο, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτόν. Act. III, 15. τὸν δὲ ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς ἀπεκτείνετε. I. Cor. II, 8. τὸν κύριον τῆς δόξης ἐσαύρωσαν. Act. XX, 28. ὁ Θεὸς ἰδίῳ αἵματι τὴν ἐκκλησίαν περιεπιήσεται. Quibus Centurionis confessio Matth. XXVII, 54. & illustres Prophetarum sententiae pollicem premunt: ipsum Jehovam Israelem ex omnibus iniquitatibus redempturum. Ps. CXXX, 8. Jehovam in peccatis nostris servisse, iniquitatibus nostris fatigatum esse. Es. LXIII, 14, 24. aspecturos in extremo die Judaeos Jehovam, quem confixerunt, Zach. XII, 10. Nimirum cum per unionem personalem humanae naturae proprietates divinae verè, quamvis in concreto, attribuantur, rectissimè quoque dicitur DEUM in humana natura & secundum eandem passum & crucifixum esse. Et quamvis & pati mori, solius humanitatis proprietates esse, ambabus largiamur manibus: nihilò tamen minus, quia haec caro non est solius humanae naturae caro, (sicut caro alterius alicujus hominis aut individui) sed est ipsius DEI caro, non solam humanitatem, sed personam passam esse statui-

mus.

mus: cum actiones & passiones Suppositorum sint, iisque propriè vindicentur. Nam si sola humanitas est passa, sequitur non personam, sed solam Naturam passam: siquidem humanitas non est persona, sed natura. Quomodo igitur DEUS passus, si sola humanitas passa putatur? quomodo ἀρχηγὸς ζωῆς occisus est? Act. III, 15. quomodo κύριος δόξης interemptus est? 1. Cor. II, 8. quomodo filius Dei seipsum pro nobis tradidit? Gal. II, 20. 1. Tim. II, 6. Hinc licet natura divina sit prorsus ἀπαθής, nec in eam ulla cadat mutatio, Jac. I, 17. Malach. III, 6. adeoque secundum divinitatem suam filius Dei pati aut mori nunquam potuerit, passus tamen verè est in carne sua, si non ut *Subiectum* aut *Principium Quod*, tamen ut *Quod*, id quod orthodoxi cum Scriptura Sacra postulant.

XII.

Quapropter cane pejus & angve fugienda Cingliana ἀλλοιώσις, (de qua lege *Lutherum* Tom. III. Jenensi Germanicô f. 462. seq.) quae confingit in his propositionibus, Filius Dei est passus, crucifixus &c. esse ἀντίδοσιν τῶν ἰσχυμάτων, permutationem Nominum, ut idem sonet haec phrasis: Filius Dei est passus, ac Homo est passus, sive Humanitas est passa. Unde hoc periculosaee plenum dogma aleae Liber Concordiae firmissimis rationibus redarguit ac refellit, petitis ex T. II. Germ. Witt. Opp. B. Lutheri p. 188. it. Tom. III. Jen. G. p. 495. b. it. Tom. VII. G. Witt. p. 530. Quae vero ex ipso contextu Concordiae peti possunt argumenta, praecipua exhibet nobis *Hutterus, Redonatus Lutherus*, Explicat. Libr. Concord. Art. II. de Persona Christi, p. m. 811. seqq. quae huc transferre juvat. I. *Si secundum mentem Zwinglii non ipse Filius Dei in propria sua carne, sed sola humana natura pro me est passa, le viculus Salvator Christus mihi fuerit; sed ipse potiùs Salvatore opus habeat.* II. *Stante ἀλλοιώσει Zwingliana, persona Christi solvitur, & in duas personas redigitur. Quae haeresis jam pridem in Nesto-*

rio damnata est. Nam si actiones & passiones Christi segregantur, ut naturis seorsim tribuantur: mox unitas personalis expirat, & duae emergunt personae, quarum una passa, altera non passa est. Si quidem operationes & passiones non sunt Naturarum, sed personae tantum propriae. III. Zwingliana à δωϊσμοῦ omnem omnium Christianorum fidem & salutem è medio tollit. Qui enim à nudâ humanitate redemptus est, neque unquam redimetur. Si enim nuda aut sola humanitas hoc praestare potuisset, quid fuisset opus filium Dei incarnari. IV. Naturae sic personaliter unitae sunt, ut arctissimè inter sese communicent, ita, ut quod proprium est humanitatis, Scriptura Divinitati in Concreto tribuat, propter unionem personalem, & viceversa. V. Non est verò proprietatum duntaxat in Persona Communicatio, sed & actionum, operationum atque passionum omnium. Quia enim personaliter unitae sunt naturae, hinc adeò fit, ut quicquid facit Deus λόγος, dicatur etiam fecisse Christus. Et quicquid passus Filius Mariae, passus dicatur etiam filius Dei, Persona enim est, quae operatur & patitur.

XIII.

Insignes autem nostri loco calamitates, tam quoad corpus, quam quoad animam Christus subiit. Quoad corpus quidem, gravissimas persecutiones, impias insidias, vincula, & verbera ac vulnera saevissima, scommata, contentus molestissimos, imo temporalem ipsam mortem: quoad animam, acerbissimos sensus ac dolores, & denique mortem aeternam, seu cruciatus infernales. Quod ultimum in primis à Papistis, Socinianis aequè ac Calvinianis perperam in dubium vocatur. Nam probamus nostram sententiam (I.) ex περιλυπίας, ἐκθάμβησεως & ἀδημονίας συνδρομῆ, concursu, vehementia & validitate Matth. XXVI, 38. Marc. XIV, 33. unde tale nobis fuit argumentum. In quocunque περιλυπία, ἐκθάμβησις, & ἀδημονία in summo & excellentissimo gradu apparet, in eo est sensus ac gustus

gustus internorum, spiritualium atqve infernalium dolorum, talis enim περιλυπία, ἐκθάμβησις & ἀδημονία, species sunt internorum spiritualium, infernaliumqve dolorum. Atqvi in Christo fuit περιλυπία, ἐκθάμβησις & ἀδημονία in summo & excellentissimo gradu propter penitissimam perceptionem objecti angustantis, justitiae punientis, poenarum inflictarum &c. E. (2.) ex instantissima calicis propositi deprecatione. Luc. XXII, 44. (3.) ex sanguineo sudoris emissionem, Luc. XXII, 44. qvi sudor non fuit naturalis, consuetusqve, sed contra omnem naturam, de quo leg. *Dorscheum P. I. Theol. Zacbar. c. IX. §. 358.* & ex eo *Qvensted. P. III. c. III. p. m. 349.* (4.) ex Christi à Deo derelicti querela in cruce Matth. XXVII, 46. Marc. XV, 34. ex Psal. XXII. *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti!* Hanc tristem vocem (verba sunt *D. Æg. Hunnii* Comm. in Matth. ad h. l. col. 594. Tom. III. Opp.) expressit ei sensus irae divinae adversus peccata mundi, quae ille tum ad unum omnia sibi imposita gerebat coram DEO &c. Fuit hic omnium profundissimus Christi ad inferos descensus. (5.) ex eo, quod Christus dicitur pro nobis factus κατάρα, maledictum Gal. III, 13. (6.) ex Act. II, 27, 31. ubi Christus cum doloribus inferni & morte aeterna luctatus dicitur: *non deseres animam meam in inferno, nec sines sanctum tuum sentire corruptionem.* Sanè si anima Christi nunquam luctata est cum doloribus inferni, quid necesse haberet Christus in eo velut triumphare, quod Deus animam ipsius apud inferos non esset derelicturus? Accedit (7.) Christum omnes omninò dolores ac cruciatus, quos homo alias debebat, in se suscipere oportuisse. Jam vero peccata non solum mortem temporariam, sed & aeternam merentur: quomodo igitur Christus pro peccatis nostris Deo satis fecit, si dolores infernales, peccatorum stipendia, ei denegemus? Quin etiam (8.) si Christus non est luctatus cum doloribus inferni, & morte aeterna, grandi & valdè necessario bono privati sumus

mus

mus. Spiritus enim Dei diserta assertio est: *In quo passus est Christus & tentatus, tentatis auxiliari potest* Ebr. II, 18. It. *tentatus est Christus per omnia, ut haberemus Pontificem*, *δυναμεινον ουμπαρῆσαι ἡμῶν*, Ebr. IV, 25. Quocirca si Christus non pertulit dolores inferni, nec cum aeterna luctatus est morte, non video utique, quâ fiducia nobis ab ipso, tanquam Pontifice, promittamus auxilium? conf. *Dorscheum* l. c. c. IX. §. 257. p. 247. & *Brochmand.* P. I. Syst. p. m. 867. seqq. Aeternam itaque Christus mortem toleravit, quoniam non aeternum: aeternam inquam, si essentiam & intensiorem poenarum respicias: finitissimam personae sublimitatem, aeternae non tantum aequipollentem, sed omnes omnium damnatorum aeternas mortes infinitis modis superantem. vid. *Calov. Exegem. A. C.* Art. III. c. VI. §. 7. *Konig. Theol. Pos. p. m.* 164.

XIV.

Inter ea, quae pro nobis passus est Christus, ingens illa *derelictio*, de quâ in cruce conqveritur Matth. XXVII, 46. Marc. XV, 34. excellit. Arbitrantur nonnulli, Christum non de se, sed ipso genere humano locutum fuisse, & hoc ipso clamore quasi admiratum, quod tam longè Deus Pater à genere humano secesserit ob peccata, illudque adeo dereliquerit. Ita post alios *Thom. Bilsonius*, Wintonensis in Angliâ Episcopus de descensu ad inferos p. 234. Ast clarissimum est, Christum de se locutum fuisse. Spectatur siquidem hic non in se ac per se, ut Dei & Mariae filius, sed relate & in officio suo satisfactorio, quatenus in iudicio Dei totum genus humanum lapsum repraesentat, & omnia omnium hominum peccata portat. Ef. LIII, 4, 6. 2. Cor. V, 21. Non inepte quis, quid ad hanc querelam adegerit Christum, sciscitetur? Non erat mortis corporae cruciatus, quemadmodum *Franc Fevardentius*, Sorbonista, Dial. 5. p. 477. & *Bilsonius* p. 35. censent, sed potius cruciatus spiritualis, qui ipsam Dei derelictionem, non animae tan-

tum

tum continebat: onus scilicet animis nostris debitum, in animam Jesu devolutum. Consistit autem derelictio haec in deliquio, non ipsius divinitatis λόγος: haec enim, quia simplicissime eadem est cum essentia Patris, tale quid pati haud potuit: non unionis hypostaticae, quod enim semel assumpsit, nunquam deposuit: non communicatae ex personali unione Majestatis divinae; mansit enim & haec ἀδιαλύτως eadem quoad possessionem, quoniam non exseruerit se in plenaria usurpatione: non fiduciae, ut eum desperasse asseramus: contrarium siquidem docent, non nisi filialem confidentiam spirantia verba: *Deus meus, Deus meus!* Imò blasphemiā hoc non careret, quoniam desperatio est actus vitiosus, adeoque malum culpae, non poenae. Neque insuper constitit formaliter in sensu dolorum infernalium, utpote qui ad illam consequenter saltem se habent; neque in nuda externi auxilii subtractione; sed in hac quidem δευτέρως, πρώτως autem atque imprimis in gratiae coelestis & solatii ac dulcedinis, ex inhabitante Deitate redundare alias solitae, sensus interioris privatione. Nam ea hic quoad rem intelligenda derelictio, quam peccatis suis genus humanum promeruerat: at hoc non tantum poenarum externarum, sed imprimis internarum & spiritualium inflictiva erat, ac proinde talem etiam sustinere debuit Redemptor. leg. Ps. IIX, 6. Ebr. II, 9. Psal. XXII, 2, 5, 6, 7. & conf. *Dorischeum* P. I. Th. Zach. p. m. 176. seqq. qui prolixè satis hac de re egit, & ex quo plura peti possunt. Deduxit enim negotium hoc non tantum ex Scriptura S. sed etiam ex Antiquitate Ecclesiastica, nec tacuit eos, qui in hoc doctrinae genere passim à veritate aberrarunt. Adde etiam *König*. Theol. Pos. p. 165. 166.

XV.

Pertinet huc quoque Salvatoris *Agonia*, qua incomparabiliter premebatur, Matth. XXVI, 37, 38. Luc. XXII, 41. seqq.

C

Intel-

Intelligimus autem non haereticam illam *Agoniam* Valentianorum, qui nefarie eam ad Aeonas suos traxerunt, quod *Irenaeus* refert lib. II, cap. 28. & quam mendaci ausu nos ab haereticis istis didicisse, non erubescit affirmare *Fevardentius*, in Notis ad locum Matthaei laudatum. Intelligimus enim nos illam, quae à Sacris Scriptoribus appellatur *περιλυπία*, cui conjuncta erat *ἐκθάμβησις* & *αἰδημονία*. Et erat illa *περιλυπία* tristitia animi dolorosa, maxima & summa, quae circumcirca animum occupabat & urgebat. Unde etiam *περίλυπ* dicitur summoperè dolens, & supra modum moestus. Et quoniam tanta tristitia ipsum quoque corpus afflixit, apud *Platonem* in Cratylo, Socrates eam derivavit ἀπὸ τῆς διαλύσεως τῶ σωματῶ. Quin & apud *Ciceronem* eandem Chrysippus dictam censet quasi λύσις, quod per eam homo, quantum quantum est, animo & corpore quasi dissolvatur, & ab omni felicitatis statu separetur. Et tetigit illa tristitia non solas animae Christi facultates inferiores, qualis *sensitiva* est, sed & superiores, ad quas rationalis & intellectualis refertur. Unde dicit Matth. XXVI, 37. *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Par quoque erat, ut ea in Christo pars pateretur, pro qua satisfaciendum erat; quae vero non sola erat anima cum facultatibus inferioribus, sed praecipue superioribus, utpote quae peccatorum praecipua fuerant organa & receptacula. Unde omnino rejiciendi erunt *Thomas Aquinas* P. III. qv. 46. art. 7. Et *Job. Duraeus* in Defensione Edmundi Campiani contra Wittakerum Lib. VIII. Sect. 19. f. 238. Nec non *Bellarminus* lib. IV. de Christo c. 8. Similiter *Fevardentius* dial. 1. *Bartholus Medina* in 3. Part. Thomae f. 527. *Vigverius* Instit. Theol. p. 742. multiqve alii contrarium statuentes.

XVI.

Addemus hic tantum ea, quae non absque acumine iudicii *Wittakerus* Duraeo respondit. Ita verò is lib. VIII. Anti-Duraei

V. I. O.

T. I. Oper. f. 171. sqq. Dum nobis absurdum aliquod παραδοξον af-
 fingere cum tuo Campiano conaris, ipse Christi perpeffiones sanè
 summas & vim mortis minuis. Sic enim statuis, Christum, tan-
 quam stipitem, cum maximis malis urgeretur, omni doloris sen-
 su caruisse, & mortem tanquam rem laetam adisse, sed nos aliter
 Scripturae docent. Esaias ait c. LIII. 4. 5. 6. Morbos nostros i-
 pse pertulit, & dolores ipsos nostros ipse portavit. Ipse do-
 lore afficitur ex defectioibus nostris, atteritur ex iniquitati-
 bus nostris, castigatio pacis nostrae imponitur ei. Jehova fe-
 cit, ut incurreret in eum NB. poena etiam nostrum, &c. & quae
 in illo Capite deinceps in hanc sententiam sequuntur. Si no-
 stri nulli sunt dolores acriores, quam qui in irae divinae recorda-
 tione, mortisqve metu versantur, NB. nostros autem dolores o-
 mnes Christus homo pertulit, quis sine incredibili in Christum in-
 juria negare potest, illum ex irae divinae & mortis acerbissimo
 sensu summos animi dolores cepisse? Itaque ait Joh. XII, 27.
 Nunc anima mea perturbata est. Tristis est undiquaque ani-
 ma mea ad mortem. Coepit contristari & gravissime angi.
 Joh. XII, 27. Matth. XXVI, 37, 38. & 39. seqq. Luc. XXII. 44. Se-
 mel, iterum, tertio precatus est, illud poculum auferri, si fieri
 posset, nec leviter, sed tanto impulsu doloris, ut inter precandum
 NB sanguineo sudore totus manaret. Haec isti minimè curant, &
 ludicra fuisse fingunt. Christum enim, quantumvis eum Apostoli
 λυπεῖσθαι, ἐν θανάτῳ βεβῆσθαι, ἀδημονεῖν, ἐν ἀγωνίᾳ γίνεσθαι scribunt,
 ipseq; suam animam περιλυπὸν fuisse testatur, nullam tamen sen-
 sisse risticiam, dolorem, cruciatum sentiunt, quo quid in Christum
 NB. contumeliosius excogitari potest? Ego sane ingenuè fateor,
 quanto hanc istorum opinionem diligentius expendo, tantò magis
 illam ab omnibus piis expuendam atqve execrandam sentio.
 Num enim aut Scripturis palam ab istis rideri, aut illa beneficia
 Christi, quae & nobis saluberrima sunt, & ipsi NB. carissimè con-
 stiterunt, proteri patiamur? Cum Apostolus scribat, Ebr. V, 7.

Christum in diebus carnis suae deprecationes & supplicationes apud eum, qui poterat ipsum servare à morte, cum clamore valido, & lacrumis obtulisse: & *Christus in cruce pendens, vocem ex intimo cordis dolore exprorsit: DEus meus, DEus meus, cur deseruisti me?* Matth. XXVI, 48. NB. *Christianum censebimus, qui vel fide Christum doluisse, l. dolendi causam NB, nullam habuisse, defendit? Quare aut mentiti sunt Evangelistae atque Apostoli, & Christus sine causa dolorem NB, simulavit, quod nefas est affirmare, aut mortem subiturus Christus gravissimos animo moerores suscepit, & gravius, quàm cum morte communi, certamen obiit. Si enim homines hanc mortem quantumvis acerbissimam appetunt infracto alacrique animo, satis intelligi potest, esse Christum inusitatis quibusdam horroribus conflictatum.* Plura ex justò Zelo prolata lege loco paulo antecitato. Praecipuè apud *Dorscheum* locò supra laudato.

XVII.

Unde videant Papistae, quàm ratione se ab haeresi excusare velint. Nos verò contra *Simonianos, Saturnianos, Basilidianos, Marcitas, Cerdonianos, Marcionitas, Appellitas, Docetas, Manichaeos*, aliosque complures observamus, Christum omnia haec passum esse *non putatitè, & secundum opinionem hominum, sed verè proprieque. Vere enim languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Es. LIII. 5. voluntarie item & sponte, non coacte Ps. XL. 10. Ebr. X. 7. Joh. XVI. 5. non casu aut fortuito, sed divina dispositione & consilio Act. II, 23. ac tandem etiam innocenter Matth. XXVII, 4. 1. Pet. I. 19. 1. Pet. II, 22. Es. LIII. 9. Joh. VIII, 46, 2. Cor. V, 21. Quin imò catholicè & pro universo genere humano, ne iis quidem exceptis, qui peccatum in Spiritum S. committunt vid. Quaestiones Vexatas Meisneri. Unde Christus 2. Cor. V. 14. 15. Ebr. II. 9. dicitur & mortuus NB, pro omnibus & mortem quovis gustasse pro NB, omni homine. Unde optime *Ambrosius**

Lib

Lib. II. de Vocatione gentium Cap. 6. scripsit. *Non est pro omnibus mortuus Christus? Sed prorsus pro omnibus mortuus est Christus.* Lege in hanc rem etiam *Atbanasium* Tom. I. in Passion. & Cruc. Domini f. 798. seqq. Neque hic intelligenda sunt *Genera singulorum*, quod quidam Calviniani volunt, sed potius *Singuli Generum*, quod Paulus voluit. Atque si Calvinianorum sententia locum haberet, sequeretur, quod neque Christus pro singulis aut omnibus electis sit mortuus, quia etiam inter electos dantur diversa singulorum Genera; quin imo sequeretur & illud, Christum etiam pro quibusdam reprobis mortuum esse, quoniam hi quoque ad Genera singulorum pertinent: quod ipsi Calviniani absurdum judicabunt.

XVIII.

Perspicuum igitur est, *Crucem*, h. e. *passionem & mortem Christi universalem esse*, quia Apostolus I. Tim. II, 6. dicit: *Christus dedit semetipsum *ἀντίδοτον*, pretium redemptionis pro omnibus.* Ubi per omnes intelliguntur (1) pro quibus precari debemus. (Debemus autem id facere pro omnibus hominibus v. i. etiam pro peccatoribus Matth. V. 44. juxta exemplum Christi Luc. XXXIII, 34. & Stephani, Act. VII. 60.) (2) qui in eminentia sunt constituti v. 2. Plurimi autem horum hominum reprobi sunt, ut Pharao, Nero, Julianus, &c. (3) quos Deus vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire v. 4. (vult autem Deus, ut non soli electi, sed & reprobi salventur, & ad agnitionem veritatis pertingant. Ezech. XVIII, 23. XXXIII, 11. Matth. XXII, 1, 2, 3, seqq. c. XXIII, 37. seqq.) (4) Quorum Christus est Mediator v. 5. (Atqui est *σωτήρ* omnium hominum, maximè v. fidelium, I. Tim. IV, 10. (5.) Quibus Evangelium & tunc praedicabatur, & praedicari etiam debet. (Illi v. omnes omnino homines sunt. Matth. XXVIII, 19, 20. Et Paulus eo tempore *ex serio Dei mandantis*

C 3

iussu

jussu praedicabat Gentilibus, ex quibus plurimi reprobati sunt. Erat namq; Evangelium Pauli *his quidē odor mortis ad mortem, illis verò odor vitae ad vitam* 2. Cor. II. 16. Ergo habebat inter auditores etiam reprobos, qui damnabantur. Certum ergo est, Christum pro omnibus hominibus passum atq; mortuum esse:

XIX.

Probamus id porro, ex Textu *Petrino*. Hic enim 2. Ep. c. II. 1. affirmat, falsos doctores, qui *subintroducunt haereses exitiales, & dominum, qui illos mercatus est, abnegant, accersere sibi celerem pernitiam*. Hoc autem qui faciunt, dubio procul non electi, sed reprobi sunt, cum nullus electorum damnetur. Hos verò plurimi, quibus Paulus scribebat, ut in errore, ita etiam in exitio sequuntur v. 2. 3. qui dubio procul & ipsi sunt reprobi, & tamen idem Petrus de iisdem asseruerat 1. Ep. I. 18. 19. quod *redempti per Christum sint pretioso sanguine agni inculpati, & incontaminati*. Quod evidenter evincit, Christum etiam pro damnatis passum & mortuum esse. Id quod etiam *Jobannes* manifestissimè attestatur 1. Ep. II, 1, 2. scribens: *Quod si quis peccarit, advocatum apud Patrem habemus, Jesum Christum, justum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solum, sed etiam NB. pro totius mundi peccatis*. Ad quem locum recte *Musculus* in LL. CC. Tit. de remissione peccatorum qv. 2. p. 465, commentatur. *Puto NB. mundi dictione intelligendum esse NB. universum genus mortaliū, unde hic mundus à principio ipsius ad finem usque constat. Cum igitur pro mundo Filium suum dedisse, & ille pro totius mundi peccatis propitiator dicitur, quid aliud significatur, quàm gratiam remissionis peccatorum destinata esse NB. mortalibus omnibus, ut omni Creaturae sit annunciandum illius Evangelium? vid. Feurborn, Syntagm. I. P. III. Diff. 5. & 6. Plura hic addi possent,*

sent, si opus esset. Sed pergendum nobis est ad alia.

XX.

Hanc igitur *Passionem & Mortem Christi* Paulus caeteris rebus omnibus longissimè praefert, inque eadem sola gloriari cupit. Sciebat enim optimè, *non esse in alio quoquam salutem, nec aliud nomen esse sub coelo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos salvari, quam unius Jesu*, Act. IV, 12. *qui sese ipse dedit redemptionis pretium (ἀντίλυτρον) pro omnibus*, 1. Tim. II, 6. Et in quo solo Deus sibi placet, Matth. III, 17. Imò in quo neque circumcisio quicquam valet, neque praeputium, sed sola fides per charitatem efficax, Gal. V. 6. Talis autem est fides, quae Passione & Morte Christi nititur. Unde & universum Mundum, & quae in eo vana & inania, quantumvis mundo maximi aestimata, rejicit, ceu nihil & damnatione, morteque crucis dignum, solam eligens Crucem Salvatoris, in qua gloriatur coram DEO & Mundo, certus, se hoc modo regenerari, iustificari, sanctificari, & quod tandem auditurus sit vocem Salvatoris suavissimam: *Euge serve bone, & fidelis super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in Gaudium Domini tui* Matth. XXV. 21. Atque haec de Textu, & eius explicatione. Sequitur nunc

CAPUT IV.

Porismata ex Textu tradens.

XXI.

Sicut universa Scriptura utilis est ad Didascaliam, Elenchum, Paediam, Epanorthosin, & Paraclesin, 2. Tim. III, 16. Rom. XV. 4. ita praesens quoque dictum suppeditat non pauca. *Porismata (1.) Didascalica* ex quibus extantiora tantum se-
ligemus, caetera in aliud tempus reservantes. Discimus enim inde (a.) *Ipsis etiam Christianis gloriari licere.* Docet id
Pauli

(1) Didasca-
lica.

Pauli exemplum, qui in praesenti Textu, piè & sanctè gloria-
tur. Quod vero Paulo licuit, id aliis quoque licere, certum
est. Quoniam in gloriatione hac Paulus non consideratur ut
Apostolus, neque ut *Ecclesiae Minister*, sed ut is, qui credit,
Christum pro se salutariter passum atque mortuum esse. Hoc
v. omnibus Christianis commune est, unde iisdem etiam
gloriatio haec jure competit. Nec obstat, quod Christia-
norum potius sit *lacrumari & ejulare* Joh. XVI, 20. Cadit e-
nim & hoc in Christianos, sive id faciant propter *peccata*, ceu
Petrus faciebat. Matth. XXVI, 75, sive id praestent propter *affli-
ctionem*, quibus perpetuo obruuntur, Ps. CXXVI, 5, 6. Act.
XIV, 22. Neque gloriationi Christianorum contrarium est.
Haec enim fit ex plerophoria fidei & recordatione satisfactio-
nis Christi. Illud verò ex memoria peccatorum & poenarum
per peccata promeritarum, nec non ex aestimio amoris Chri-
sti, cui non peccatis, sed summa pietate gratitudo redhiben-
da erat. Paulus id optimè intelligens, utrumque conjungit
2. Cor. VII, 9, 10. *Ut morientes, & ecce vivimus: ut qui castiga-
mur, nec tamen morte afficimur: ut NB. tristes, semper tamen
gaudentes &c.* Et cum Christianorum vita *quotidiana sit poe-
nitentia*, oportet eosdem in *Contritione* non solum dolere &
lacrumari, sed & simul in *Fide* gaudere & gloriari.

XXII.

(b) Et quamquam multa sint, in quibus sincerus Chri-
stianus gloriari possit, quod docet exemplum Pauli 2. Cor. XI,
18. seqq. ex omnibus tamen illis eminent, tanquam Sol reliquo-
rum, CRUX SALVATORIS, hoc est, *Salutaris ejus Passio &
Mors*. Absque his enim si esset, caetera omnia non vana tan-
tum, sed & noxia fierent. Est namque citra Passionem &
Mortem Christi nulla salus. Act. IV, 12. Et sicuti sol reli-
quis stellis lumen & splendorem largitur, ita quicumque ali-
quid habent, quod gloriatione dignum sit, id ex Passione &
Morte

Morte Christi accepit. Dari v. hanc (c) ex Pauli Verbis colligitur. In quo enim Apostolus verè gloriari potuit, illud necessario existat, necesse est. Non Entis namque nulla sunt accidentia. Neque obstat, quod similis gloriatio in Veteri quoque Testamento locum habere debuerit, ubi tamen *Actu* nondum extitit, quoniam Christus in Novo demum Testamento passus & mortuus est. Distingvimus enim inter passionis Christi *Actum* & *fructum*. Ille certi duntaxat temporis erat: hic verò perpetuus est, juxta Pauli verba Ebr. XIII, 8. *Iesus Christus heri & hodie, & idem in Secula*. Licet quoque non extiterit Passio Christi in V. Testamento quoad *Actum fiendi*, extitit tamen quoad *Actum prodesse & Juvandi*. Quod evincit exemplum Abrahae, de quo Salvator inquit, Joh. VIII, 58. *Abrahamus Pater ille vester, gessit videre diem istum meum: & vidit & gavisus est*. Existit etiam secundum omnes illos actus, qui supra deducti sunt, adeoque fidem veram & indubitam non solum requirunt, sed & per Verbum Dei efficiunt, adeoque rectissime ad Art. II. Symboli Apostoli referuntur.

XXIII.

Ex quibus porro concluditur (d.) *Crucem Christi omnium rerum esse pretiosissimam*. Intelligimus verò non cruces ligneas lapideas, metallicas, imprimis argenteas, aureas, aut ex pretiosissimis gemmis vel fabricatas vel ornatas, etiamsi à Pontifice Romano consecratae, Maximisque Principibus dono datae sint, multa quoque miracula, per illas edita, narrentur; quoniam nec ipsa Crux illa lignea, in qua Christus pependit, passus atque mortuus est, etiamsi certissimum sit, illam aut Romae aut alibi verè extare, hic accipi debet aut potest. Nullam certe harum Apostolus intelligendam voluit, sed, quod supra allatum est, indicavit per *crucem, passionem & mortem Salvatoris*. Haec certe *pretiosissima illa Margarita* est, dignior omnibus mundi thesauris, Matth. XIII, 45, 46. Hoc est unicum illud *Bonum, & optima pars* à Maria electa. Luc. X. 42. *quod ac*

D

7776-

nunquam ab eâ abripietur. Pretium hujus ex eo colligere potes, quod per hanc animae salus est acquisita, non uni, sed omnibus hominibus, pro quâ universus mundus cum omnibus divitiis suis nihil est, Matth. XVI, 26. Unde Petrus I. Ep. I. 18, 19. *Scitis vos, non corruptilibus rebus, argento. l. auro, fuisse redemptos; - - sed pretioso sanguine, utpote agni inculpato & incontaminati, nempe Christi.*

XXIV.

Neque pretiosissima duntaxat est, sed & (e.) *pulcherrima.* Est enim pulcherrimi filiorum hominis. Ps. XLV, 3, in quo solo sibi DEUS complacuit, Matth. III, 17. c. XVII, 5. Luc. IX, 35. 2. Pet. I, 17. quin & nos pulcherrimos reddit Ps. XLV, 10. Es. LXI, 10. *Sanguis enim Christi mundat nos ab omni peccato.* I. Joh. I, 7. Et electi purgantur & splendentia fecerunt vestimenta sua in Salvatoris sanguine, Apoc. VII, 14. Pulchrè Paulus Eph. V, 26. 27. *Sanctificavit & purificavit Christus Ecclesiam lavacrò aquae per verbum, ut sisteret eam sibi gloriosam, id est, Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut sit sancta & inculpata.* Unde quemadmodum DEUS opera creationis adspiciens, exclamabat: *omnia valde bona sunt,* Gen. I. v. ult. Ita & Christus Sponsam contemplatus in cruce. Ejus gloriantem, quasi admirabundus dicit: Cant. IV, 1. *Ecce pulchra es, amica mea, ecce pulchra es &c.* Et v. 7. *Tota pulchra amica mea, & vitium nullum existit in te.* Propter passionem enim Christi peccata hominum, quae in se tanquam diabolum sunt, exalbescunt tanquam nix, & quae rubra sunt, velut coccinum, fiunt lanae similia Es. I, 18. (f.) Oportet etiam *Crucem Christi esse rem omnium potentissimam,* utpote in quâ sola Apostolus tuto gloriari & securus esse potuit. Gloriari enim solent homines in iis rebus, quae potentes sunt, & in quibus securitatem suam reperiri possunt. Sic gloriatur David de DEO, PETRA ET PROPUGNACULO SUO Ps. XVIII, 3. Et porro v. 4. pergit: *DEUS fortis meus, rupes mea, ad quem me recipiam, clypeus*

peus meus, & cornu salutis meae, editus locus meus. Quemadmodum etiam DEUS Lothi securitatem procurans, dicebat, Gen. XIX, 17. *Ad montem illum fuga te eripe, ne perimaris.* Et cum Loth responderet v. 19. *Ego non possum fuga me eripere ad montem illum, ne quod me assequatur malum & moriar v. 20.* Ecce nunc civitatem istam propinquitate sua commodam ad fugiendum illuc, reddebat Dominus v. 24. *festina, fuga te eripe illuc &c.* Atque ita Loth de vita securus esse, & de securitate gloriari poterat. Gloriatio haec Davidis erat Ps. XCI, 1, 2. *Confidens in latibulo excelsi, in umbra omnipotentis indefinenter pernoctans. Dico in Jehovah est receptus meus, & propugnaculum meum, Deus meus est, cui confido.* In foraminibus Petrae tuta quies securaque vita, quia foramina, passio & mors omnipotentis DEI sunt, qui proprio suo sanguine Ecclesiam redemit. Act. XX, 28. *vicitque mortem & infernum* Hos. XIII, 14. 1. Cor. XV, 54, 55, Ebr. II, 14.

XXV.

Nec minus (g) Christi crux, *res omnium sufficientissima est,* quoniam Paulus hac sola contentus, caetera omnia in super habet, dicens: *Absit a me gloriari, NB. nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi &c.* Et (h) *suavissima.* Glorietur quippe in eadem Apostolus, tanquam sponsus in sponsa amantissima, tanquam sponsa in corona acceptissima, tanquam Victor in victoria gratissima, tanquam dives in thesauro dulcissimo &c. Est enim (i) verus & genuinus Christiani *Tesaurus.* Glorietur Croesus in divitis suis, Pontificii in thesauro indulgentiarum fictitio, dives iste homo in novis horreis, fruge bona plenissimis, & dicat: *Anima, habes multa bona reposita in annos multos: requiesce, ede bibe &c.* Luc. XII, v. 16. - 19. Rectius pia anima acquiescit in thesauro passionis & mortis Christi. In eo enim nihil deest, & omnia abundant. Qui hunc thesaurum habet, dicere potest: Ps. XVIII, 1. *Non possum egere. Uti enim nobis Deus*

D 2

cum

cum filio omnia donavit, Rom. VIII, 32. ita ex ejus plenitudine arripimus gratiam pro gratia Joh. I, 16.

XXVI.

Colligimus praeterea ex Textu, (k) *officium Christianorum esse, selectum quendam inter res, circa quas versatur, instituendum esse.* Quamquam enim singula sint bona, non tamen singula sunt aequalis dignitatis, necessitatis aut utilitatis. Ita Apostolus hic ex selectu sanctè & sollicitè instituto, selegit crucem Christi, eamque caeteris omnibus praetulit, uti *Mercator ille Margaritam* Matth. XIII, 45, 46. Et *Maria optimam partem*, in qua tuto acquiescere potest, Luc. X. v. ult. Unde (l) is omnium optimus Christianorum est, qui in selectu illo non aberrat, Leamque pro Rachele, Barrabam pro Christo apprehendit. Non ita Paulus, qui in selectione crucis falsus non est. Hinc gloriatur. Quae gloria locum non haberet, si deceptus esset. Sed apparet quoque (m) hinc, Diabolum non soli Evae poma veritas, Gen. III, 1. seq. nec soli Christo thesauros hujus mundi, Matth. IV, 8. monstrasse, ideo, ut quae noxia erant, eligerentur; facit enim illud perpetuo, Mundum pro cruce Christi ostentans. Qui igitur cum *Dema crucem negligit*, & mundum eligit 2. Tim. IV, 10. infelicissimus est. Paulus, digitum Dei secutus, crucem elegit, mundum neglexit. Christus autem è contrario (n) *verum Mundi usum docet.* Hunc didicit Paulus, Mundum pro crucifixo, immundo, maledictoque Deut. XXI, 23. Gal. III, 13. adeoque fugiendo habens.

XXVII.

Hinc apparet (o) quid mundus iste immundus sit, quem Paulus adeò negligit. Scilicet, *quicquid est in mundo, cupiditas carnis, & libido oculorum & fastus vitae* 1. Joh. II, 16. quis piorum haec non negligit? *Facet enim totus mundus in improbo*, 1. Joh. V, 19. Hinc, *qui diligit mundum, in eo non charitas Patris* 1. Joh. II, 15. *imò non est ex Patre, sed ex mundo* v. 16. omnium malorum Camerinâ & Pandorâ. Sunt etiam haec in dis-

indissolubili nexu (p) conjunctissima, ut is, cui mundus crucifixus est, coelum & coelestia desideret, Id facit Apostolus. *Qui enim hic dixit: Mundus mihi crucifixus est, is etiam Phil. I, 23. exclamat: Desidero dimissionem, ut cum Christo sim. o quam fordet mihi mundus, dum coelum adspicio! inquit pia anima, & cum Monica Matre Augustini exclamat: Evolemus, evolemus. Non tardat cum Loth, in Sodomis Gen. IX, 16. Sed festinat cum Jehu, ut voluntatem DEI impleat. Qui autem (q) in cruce Christi verè gloriatur, is etiam mundo crucifixus & plane mortuus est cum Apostolo: Mundum non audit, non amat non sequitur, non defendit, non auget &c. Qui contra (r) mundo vivit, is Christo mortuus & crucifixus est, ut filius perditus Luc. XV, 32. & fide destituitur, 1. Eph. II, 5. Impossibile enim est duobus simul Dominis servire Matth. VI, 24. Tandem (s) non alia ad DEum & ad Coelum via est, quam per crucem, h. e. passionem & mortem Christi. Haec enim credenda illi est, qui ad DEum venire cupit Ebr. XI, 6. Qui hac veste nuptiali Matth. XXII, aut hoc oleo c. XXIV, destituitur, coelo exesto.*

XXVIII.

Verum pergendum nobis est ad *Porismata Elenctica*. Cer- (2) Elenctica.
 tum est, sequi ex verbis Paulinis (a) Errare *Socinianos*, docen- ca.
 tes, nos citra satisfactionem, atque ita etiam citra crucem Christi, salvos fieri posse. Vide *Ostorodum* Cap. XXXVI. Instit. p. 294. sqq. & qui eum refutavit, *Feurbornium*, Disp. XXXII. Anti-Ostorodi p. 485. seq. Nulla enim causa alia erat, cur Paulus gloriabatur in cruce Christi, quam quia optimè sciebat, se per passionem & mortem Christi salvari. Conf. Rom. III, 28. c. IV, 1. seqq. c. VI, 23. c. XI, 5. 6. Gal. II, 16. Eph. I, c. II, 7. 8. 9. 2. Tim. I, 9. Quorsum pertinet (ß) error *Calvinianorum*, asserentium, *Christum cum sua satisfactione non esse meritoriam nostrae electionis ad vitam aeternam causam, sed ejus effectum.* Id enim docet *Zanchius*, Tom. II. lib. 5. de Natur. Dei c. 2. ut & de Praedestinatione Sanctor. Qv. I. p. 508. *Martyr.* in L. C. Class.

3. Cap. I. §. 25. 37. *Polanus* in Syntagm. Lib. IV. cap. 9. *Pareus* in Cap. IX. Roman. p. 819. *Haffo-Cassellani* in Synod. Dordrac. ad Art. II. p. 531. seq. *Steinius* in Vindicat. p. 180. & Part. 3. Fraternit. p. 45, 46, 210. Non obstante, quod D. *Johannes Crocius* contrarium asserat, in Defens. p. 304. 305. 321. 365. 370. & in Cap. I. Epist. ad Ephes. 157. passimque alibi. Papistarum v. error (γ) non minor est, quo volunt, praeter crucem & satisfactionem Christi ad Justificationem & Salvationem, nostram quoque satisfactionem aut opera concurrere, contra manifestam Scripturam Sacram. Act. IV, 12. Joh. XIV, 6. Rom. III, 24. Eph. I, 4-7. 2. Tim. I, 9. 1. Joh. II, 2. Gen. III, 16. Deut. XXXIII, 29. Es. XLV, 17. Ezech. XIV, 6. Hof. I, 7. Non gloriatur Paulus cum Pharisaeo in bonis operibus, Luc. XVIII, 11. d. unice in Cruce Christi.

XXIX.

Unde (δ) alius horum error elucet, Satisfactionem scilicet Christi non imperfectam, sed perfectissimam esse, cui ut humana addatur, sanae rationi adversum est. Si enim non fuisset perfectissima, non potuisset Paulus in eâ solâ gloriari; multò minus asserere, se in nulla alia re, nisi in unica & sola Christi Cruce gloriari. Confer. Joh. XIV, 27. Rom. V, 1, 2, 9. 11. 15. 19. Ephes. II, 13, 14. 15. 16. Col. I, 19. 20. Pertinet huc porro (ε) *Photinianorum* error, quo volunt, non fuisse peccata nostra per mortem Christi vere expiata, sed Christum in coelis manentem, illa re ipsa expiare. Leg. *Socinum* in Praelection. Theol. Cap. XXVIII, p. 84. Paulus enim in Cruce, hoc est, passione & Morte, quae non in coelis sed in terris peracta sunt, gloriatus est, minime id facturum, si per eandem Salvator salutem nobis & peccatorum expiationem non fuisset promeritus. *Factus* enim Christus in his terris pro nobis peccatum est, 2. Cor. V, 21. In his terris itaque omnia peccata nostra in eum incurrere fecit, Es. LIII, 6. Et portavit ea in ligno Crucis, Gal. III, 13. Paucis: Christus seipsum dedit in mortem pro nostris peccatis expiandis, 1. Cor. XV, 3. Gal. I, 4. 1. Pet. III, 18. Heb. IX, 26. Mortuus autem

autem est in terris, non in coelis. In illis certe pretiosum suum sanguinem pro nobis, & ut nos à peccatis redimeret, effudit, non in his 1. Pet. I, 19. 2. Pet. I, 1. Apoc. V, 9. 1. Cor. VI, 20. c. VI. 23. *Maectatio & immolatio ejus sustulit peccata nostra*, Gal. I, 4. Tit. II, 14. Haec autem facta est in terris Matth. XXXVII, 31. seqq. 1. Cor. V, 7. Eb. V, 3. c. VII, 27. c. IX, 28. c. XIII, 12. Deinde (Z) apparet ex dicto nostro, falsam esse sententiam *Papistarum* credentium, Christum ab instanti mortis suae horâ nihil amplius meruisse. Docent hoc *Thomas* 3. Quaest. 50. Artic. 6. *Svarez.* Tom. I. in 3. partem Thomae, disp. 39. Sect. 3. f. 625. seqq. *Becanus*, Tom. I. f. 584. col. 2. n. 7. *Tannerus* disp. 1. in 3. part. Thomae f. 834. *Bellarminus* in *Judicio de Lib. Concord. error. 6.*

XXX.

Poteramus plura his similia addere, sed quoniam praeter (3) *Paedeu-*
tica.
 spem labor hic nimium accrevit, reliqua praeteribimus, paucis tantum *Paedeutica* quaedam Porismata indicaturi. (1.) Probes omnia, & solam Christi crucem retineas, haec enim digna est, in quâ quis gloriari potest. (2.) Examina mentem tuam, an cum Paulinâ conveniat? an in solâ cruce Christi hucusque gloriatus fueris? Et quanam sint ea, in quibus gloriatio tua occupata fuit? (3.) Elige cum Maria Luc. X, 24. *partem optimam*, quae est crux Salvatoris. (4.) Disce mundum contemneré, nihil enim est, si cum eô compares Crucem Christi. (5.) Nihil in universo mundo Cruci Jesu Christi praefer, quod & Paulus h. l. & David Pf. LXXIII, 25. fecit (6.) Crucifige teipsum, h. e. carnem peccaminosam, sive veterem Adamum, id enim vult crux Christi, & exemplum Pauli. (7.) Sperne voluptates hujus mundi, sunt enim Salvatoris cruci contrariae. (8.) Ama afflictiones, easque patienter tolera. Ita enim crucifigeris & imagini Servatoris similis fies. Rom. VIII, 17. (9.) Exerce patientiam, id enim & Christus, & crux ejus, nec non Christianorum status postulant. (10.) Age poenitentiam, ut latro in cruce. Luc. XXIII, 40. seq. qui cum Jesu crucifigebatur:
 nam

nam & tu cum eo crucifigendus es, quod nullibi rectius, quam per poenitentiam fiet. (II.) Vivas ut crucifixus, nec manus, pedes & caetera corporis membra voluptatibus admoveas. (12) Ne desperes in cruce, Christus te juvat, & crux Christi servat te.

XXXI.

(4) Epanorthotica.

Similiter in *Epanorthoticis* succinctiores nos esse oportet. Corrige ergo (1.) incuriam & negligentiam tuam, qui hactenus sine probatione omnium, mundo & mundanis adhaesisti. (2.) Gloriaris in divitiis, voluptatibus, in mundi vanitatibus, atque ita insipientem te ostendis. (3.) Eligis pro cruce Christi, mundi gaudia, agros, boves, & hujus furfuris alia, atque ita, quantum desipias, prodis. (4.) Quia amas mundum, & quicquid in mundo est I. Joh. II. 16. dignum te inferno reddis. (5.) Dum crucem Christi spernis atque rejicis, juste faciet Christus, quando & te rejiciet, dicendo: abito, qui mala & male fecisti, *ego te nunquam agnovi* Matth. VI, 23. (6.) Vivis nunc cum epulone, quotidie voluptatibus te tradens, crucifigisque non carnem, sed spiritum, dignus ergo es, ut aeternum crucieris. Luc. XVI, 23. seqq. 7. Qui mundum, ejusque voluptates magni aestimas, referendus es inter Judaeos, qui Barnabam Christo praeferebant. Matth. XXVI, 21. Scilicet Christus crucifigitur, Barnabas autem tecum vivit. (8) Si crucem & afflictiones fugis, instar filii lurconis es, Luc. XVI. & tandem inter porcos, imò inter Diabolos vives. (9) Qui sub cruce & afflictione impatiens est, similis erit ferae retibus se magis magisque intricanti, suamque perniciem promoventi. (10.) Qui in impenitentia pergit, non crucem & lucem, sed tenebras & infernum ambit, ejiciendus tandem in locum, ubi perpetua poenae & tenebrae reperiuntur. (11.) Si afflictionem & crucem fugis, libertatem peccandi sectaris, pedibus, manibus, caeterisque membris tuis solutus, arma ea facis nequitiae, quae tandem igne infernali coercenda erunt. (12) Qui ad desperationem in cruce inclinas, similis es latroni in cruce damnato. Luc. XXIII, 39.

XXXII.

XXXII.

Accurrite nunc omnes, qui sub cruce gemitis, & solatia invenietis, in cruce Salvatoris vestri dulcissima. Quod si enim (1.) à mundo contemti & despecti vivitis, agite, mundus est vobis crucifixus. Gloriatio vestra in cruce Salvatoris est. (2.) Si pauperes & egeni estis, divitias & thesauros in cruce Christi incomparabiles habetis. Si (3.) pressi vivitis à potentioribus: potentior iis Christus est, qui eos omnes per crucem vicit: nihil ergo vobis nocebunt. (4.) Si morbis & aegritudine laboratis, crux vestra medicina est. (5.) Si vos Satan, mundus & caro tentant, ostendite iis crucem Christi, & fugient. Victi enim per eandem penitus sunt. (6.) Si variis afflictionibus estis expositi, arripite crucem, in hac enim omnes afflictiones reconditae & emendatae reperiuntur. (7.) Si tristitia vos exercet, erigite vos per crucem Domini, in qua tristitia quoque vestra crucifixa est, & laetitia è contrario aeterna parata. (8.) Si nudi & absque vestimentis reperimini, ecce in cruce pendet nudus Salvator, qui vera salutis vestimenta vobis paravit. (9.) Si Pater, mater & universus mundus vos relinquit, Salvator vester in cruce pro vobis moriens, vos nunquam relinquet. Ut enim in cruce clavis ligno affixus haeret, ita multo magis vobis adhaeret. Ebr. XIII, 5. (10.) Si mutilus mancusque deprehenderit, ne tristere, crux Christi tibi majora restituet; & Christus plura gravioraque pro te passus est. (11.) Si viduus, vidua aut orphanus es, Patrem sponsumque tuum in cruce invenis, qui de diligit, & gravissima quaeque pro te patitur. Is te nunquam relinquet. Ps. XXVII, 10. (12.) Si denique erepta tibi sunt omnia, ecce Christus in cruce pendens, tibi meliora reddit. Tu modo eadem arripito, mundoque valedicito & Deo adhaerens, exclamato. *Omnia habeo, quia Christum habeo, in quo verè gloriari possum: Omnia si perdas, Crucem servare memento.* Christo sit laus, honor & gloria in sempiterna secula!

F I N I S.

E

VIRO Plurimum Reverendo,
DN. M. JOHANNI SEEBISCHIO,
Theologo cordato, & Archidiacono Dresdensi Vigilantissimo,
Amico suo veteri, & Fratri in Christo conjunctissimo,


S. P. D.

P R A E S E S.

QVanta in Ascantiō chari stet cura Parentis, *Seebischi Venerande*, illi rectius norunt, qui à Deo habent probos, morigeros, industrios, modestos, eruditos, pacis & concordiae amantes, pios, maximaeque spei filios. Tales enim esse gratissima Supremi Numinis dona, quis ambigat? Pereant divitiae, pereant opes, pereant dignitates, tantum moerorem incutere probis parentibus non poterunt, quantum unius filii iis virtutibus praediti obitus. Et quanquam varia in hoc mundo sunt, quae nos oblectant, nihil tamen ex iis erit omnibus, quod firmiter in nobis, constantiusque gaudium excitare possit, quam filii benè nati, boni educati, illisque bonis, quae recensuimus, ornati. Et ô felices Parentes, quibus hæc à Deo lætitia contigit! Ut verò Te, Amicissime Vir, inter eos non ex ultimis, sed verè primis numerem, facit *filius Tuus suavissimus, Autor & Respondens hujus Dissertationis doctissimus*. Postquam enim ille per integrum fermè triennium (duo enim tantum menses ab eodem restant,) inter familiares meos vixit, non solum incola domi meae, sed & mensæ asseda suavissimus, non cognovi tantum virtutes ejus, & amavi, sed & earum testis & præco sincerus esse possum. Vixit ita, ut neminem læderet, à nemine etiam læsus, quia ab omnibus ob virtutes egregias amatus plurimum est. Coluit Deum religiosè. Amavit proximum sincere. Veneratus est studiosè; audivit Professores. Incubuit studiis indefessè. Magni propterea aestimatus & honoratus ab omnibus, qui eum cognoverunt. Atque si ego tacerem, loqueretur tamen praesens Dissertatio, cujus & contenta & modum tractandi, quod spero, approbabis, & simul ex eadem, quanta filii tui pietas sit & eruditio, aestimabis. Te igitur felicem propterea praedico, magnoque studiò Tibi de tam benè nato, benè educato, beneque informato filio gratulor. Sevet & Te, & dulcissimam conjugem, & amantissimos liberos, in primis filium hunc Tuum, quem paternò amore prosequor, Deus, quem ideò ardentè rogo, ut Organon ex eò faciat salutare, Ecclesiae & Reipublicae perquam utile, Vobis autem, imò & mihi honorificum. Atque id, ut sincerè optem, amicitia nostra per quadraginta unumque annum absque labe & defectu perdurans, me postulat. Vale! Scribebam Wittenb. XXX. Mart.

A. E. C. M. DC. XCVII.





Wittenberg, Diss., 1696-97


ULB Halle 3
005 607 612



7A → α

Witten







De
**GLORIFICATIONE
PAULINA,**

Ex Gal. VI, 14.

PRÆSIDE

*VIRO Summè Reverendo, Magnifico,
Excellentissimoque*

DN. CASPARE LOESCHERO,
Doctor. Theologo, Prof. Publ. Consist. As-

sess. Seniore, Ecclesiæ Wittebergensis Pastore, Circuli
Electoralis Saxonici Superint. General. &
Fac. Theol. Decano,

*Dn. Patrono, Præceptore ac Hospite suo
omni venerationis debitæ cultu
prosequendo,*

disput.

AUTOR - RESPONDENS

M. CAROLUS Gottlieb Heebisch,
Dresdensis,

D. XXX. Mart. A. C. M. DC. XCVII.

WITTEBERGÆ,

Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

